





1012

1012  
qu






~~Handwritten text in cursive script, possibly a title or name.~~

~~Small handwritten notes or signatures at the bottom right.~~









35 36 1327

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
IMBECILLITATE  
VENTRICULI,

QVAM  
FAUENTE DEO TRIUNO  
DECRETO ET AUTORITATE  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
IN  
PERANTIQA ELECTORALI ERFURTINA  
PRO

LICENTIA  
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA legitimè  
ac solenniter consequendi

*Publico Eruditorum Examinis  
submittit*

JOHANN. DANIEL

*Goppen/*

HERSFELDâ - HASSUS,  
*Ad d. 23. Decembr. Anno M. DC. LXXX.*  
In Auditorio Coelico  
Horis consvetis.

---

TYPIS KIRSCHIANIS.



878

DISSERTATIO  
IN ANATOMIA MEDICA

ARTICULATA  
VENTRICULI

AVCTORE  
FRANCISCO DEO TERNIO  
PROMOTO LICENTIATO  
GRATIAE FACULTATIS MEDICAE

PRAEFATIONE ET NOTIS  
P. 10

ESSENTIALIA  
SVMONIA ET REPERTORIA  
ET ALIA QUAE AD  
ANATOMIAM HUIUS  
ARTICULI PERTINENT

JOHANNES DANIEL

MDCCCLXXII

FRANCISCAE







PROOEMIUM.



Sanitatem corpori nostro inesse tum dici-  
 mus, quando partes omnes ita inter se a-  
 micè conspirant, ut tam continentes,  
 quam constituentes naturalem suum ser-  
 vent situm, magnitudinem, motum &  
 quietem &c. Quod assertum uti inter Medicos ferè u-  
 nanimiter est receptum, ita ex ipsa experientia dudum  
 observavit GALENUS *lib. de differ. morb. c. 2. & l. de tuend. san.*  
*nobis ἐπιόψηφος.* Ab hac autem constitutione, quò lon-  
 giùs eadem recedunt, tantò morbidiorem machinam,  
 hanc nostram microcosmicam fieri cum veritate cen-  
 semus. Tot calamitatibus etenim, tot cruciatibus  
 corpus nostrum est expositum, quot partes in eo repe-  
 riri licet. Excruciatur sanè suprema cavitas doloribus  
 persæpè tam atrocibus, ut homo infra pecudum for-  
 tem dejectus videri queat. Quales non sustinet mole-  
 stias venter nuncupatus medius? Effluvia illa blanda,  
 quæ ibidem nascuntur, spiritus puto, quæ totum mi-  
 crocosmum irrigant, foecundant & sustentant, quàm  
 non rarò à suo nativo declinant genio? Et ea propter  
 lamentabilem excitant tragoediam. Ipse horum ve-  
 ctor sanguis, dum extra suos decurrit limites, quantam  
 non morborum producit copiam? Uberrim tandem sua





experitur mala concavum infimum. Quot enim non morborum seminio enasci scribuntur ex succo illo in pancreate contento debitò suò sapore destituto? Imò & sororiente liqvore bilem indigito? De quibus SYLVIVS & Recentiores plurimi. Ipse oeconomiae naturalis promus condus suos patitur manes. Hic enim quacunque de causa labefactatus, nec fermentat, nec coquit, nec digerit, nec aliis visceribus succum pro nutritione laudabilem præbet. Et licet varii sint illi affectus, quibus obnoxius est, inter eos tamen agmen, quasi ducit ipsius imbecillitas. Quod malum uti satis est frequens, ita ut eò efficacius eidem succurratur, & salus langventis & necessitas exoptulat. Movit me in sui ulteriorem indaginem, ut loco Dissertationis Inauguralis ex gratioso Inclytæ Facultatis Medicæ indultu mihi concessæ eundem publico nunc sistam examini, sperans tamen, quòd si non omnibus ad palatum mea erunt, me ab illis, quibus placuero, applausum, à dissentientibus verò veniam esse impetraturum. Esto igitur S. T. N.

## §. 1.

**I**mbecillitas, Græcis *ἀδυναμία* & *ἀπρωσία*, specialiter & Medico in sensu de visceribus præeunte HIPPOCRATE *ἀπρωσία*, vi nominis talem notat defectum, quo aliquid incapax & ineptum est præstare illud, quod debet, sive ille ipse ei accidat ex langvore naturæ primigenio, sive imprimatur à causis aliis superaccedentibus.

§. 2. Quoniam autem in corpore humano, de quo impræsens sumus solliciti, viscera occurrunt varia, quale intellectum velimus, per additamentum Ventriculi



732A

culi seu primi coloris determinamus. Hic enim quem-  
admodum varia propter impedimenta est æger, an de  
omnibus imbecillitatum speciebus, an verò de una cer-  
ta nostrum hunc discursum velimus acceptum, pro-  
nunciare boni ordinis jubet ratio & ut in sequentibus  
omnibus evitetur confusio. Per consensum siquidem  
stomachus non ita rarò afficitur debilitatis & malè sese  
habentibus circumstitis aliis partibus, febres sanè, plu-  
rimæ obstructions ad unum omnes etiam si sedem  
suam non obtineant in ventriculo, eum tamen in com-  
passionem ita rapiunt sæpiùs, ut muneris sui quasi ob-  
liviscatur. Verùm hanc ipsam debilitatem ex profes-  
so explanare nostri non est instituti, sicuti nec illam, ubi  
exhalationibus ex utero cum eodem comunicatis pro-  
clivis multoties est ad cibos absurdos & inconsuetos.

§ 3. Ut autem clariùs pateat, quid velimus & qui-  
bus in cancellis sese contineri debeat nostra dissertatio,  
hunc nostrum affectum sequenti describimus modo,  
*quòd sit Ventriculi impotentia ut plurimum cum prostrato ciborum  
appetitu combinata, ubi ille ex deficiente necessariorum coadjuto-  
rum virtute cibos ingestos vel rejicit, vel malè coquit aut ab iis-  
dem aggravatur.*

§ 4. Pro feliciori autem hujus definitionis explica-  
tione æquum & tantum non necessarium duxi ipsum  
concoctionis negotium paulò penitiùs intueri, quomo-  
do scilicet illud peragatur, simulque ostendere, quòd li-  
cet dissonantia quædam inter Prædecessores nostros  
venerabiles & Doctores modernos occurrat, ea tamen  
magis ex nominibus, quàm re ipsa ortum suum traxe-  
rit. Ostenderunt nobis illi fontem, dum naturam om-



mnis hujus actionis auctorem pronunciauerunt; quan-  
 quam & GALENUS jam suo ævo intimiùs etiam liquo-  
 rem aliquem acidum ad chylosin esse necessarium asse-  
 ruit. Hi verò dum contenta & virtutes ipsius fontis  
 per plura Chymicorum phænomena illustraverunt,  
 Medicinam nostram ad illud perfectionis culmen, quale  
 in hac fragilitate obtentu est possibile, tantum non eve-  
 xerunt. Certum autem est & apud omnes in confesso  
 Ventriculo aliquid inesse, quo excitato & ab alimentis  
 assumptis comite salivâ actuato coctio perficiatur, qua-  
 le illud sit & unde oriatur, non una est sententia. Na-  
 turæ nomine multi fuerunt suntque adhuc contenti.  
 Et optimè quidem. Cùm eadem seipsam quàm opti-  
 mè noscat sui que conservationem quàm studiosissimè  
 intendat. Verum curiosa nostri seculi non solum, sed  
 & retrò elapsoꝝ ingenia ulterius fuerunt progressa  
 & cujusnam sit originis illud, quod antiquis Natura au-  
 divit, aut Archeus nominatus est, indagare ausa sunt,  
 conatu tamen diverso. RENATUS DES CARTES & qui i-  
 psius tuentur partes, adstruunt, per arterias coeliacas  
 sanguinem deferri ad ventriculum, partem illius acidi-  
 orem ad generandum fermentum in illo relinqui, cujus  
 ope concoctio absolvatur. Verum dubiam hanc red-  
 dit sententiam, quòd arterias vehere observatum sit  
 balsamum aliquem sulphureum & in eo spiritus vita-  
 les influos pro totius corporis conservatione, qui uti  
 longinquè abest ab aciditate; ita & non minùs labefa-  
 ctat hoc assertum Veterum monitum, quod arteriis vi-  
 vificationem solum tribuit, non verò nutritionem, de  
 quo HIPPOCR. CELS. HORST. & alii. Alia & antiquior est  
 sen-



sententia, quæ originem hujus liquoris transcribit vasi  
lienens brevi, uti post GALENUM fecerunt HELMONT. & RI-  
VER. Et novissimè, singulare veluti quidpiam in pecu-  
liari, quem ea de re compilavit libello, recitavit MAT-  
THIAS TILINGIUS; ille enim aliquibus argumentis  
& observationibus communicationem ventriculi & va-  
sis brevis asseverare omnibus annis est modis, sed  
omnibus illis sufficiat unica opposita observatio anato-  
mica, quæ spectatoribus & suis sectoribus exhibuit,  
breve vas lienis intumefactum à ventriculo ad situm  
lienens, non autem ex adverso. Ex quo suâ consequitur  
sponte ex vase brevi lienens nihil ad ventriculum eructa-  
re, sed potius ventriculum in vas breve sese exonerare.  
Qui nudam Dianam hîc sibi promittunt, modum con-  
coctionis sequenti explicant modo: Salivam fermenti  
esse suscitabulum, ciborum acidorum reliquias & re-  
manentias esse hujus pabulum. Clarissimus SWALVE  
*in tractatu de Instrumentis Nature & artis pugilicis Alkali & Acidi*  
suam ita explicat hac de re mentem: Sub dentium qui-  
dem molendina rudimentariam solutionem à subin-  
trante tolerant saliva, qua deinde simul deglutita fer-  
mentescunt in ventriculo & saliva licet insipida sanis  
parum quidem alcalicæ, plusculum acidæ spirituosita-  
tis sub aqvositate copiosa continet, hinc genuinum fer-  
menti stomachici suscitabulum ac præcipuum illi mo-  
mentum, quin ab ea continuatim depluente rugis ven-  
triculi insidet succulentia fermentalis. Eidem succen-  
turiatur, qui fusiùs rem omnem, verbis tamen planio-  
ribus exprimit Excellentiss. DIEMERBROCK *in sua Anatomia*  
pag. 34. Fit hæc fermentatio, cum alimentorum inge-  
storum



2374. Horum particulæ salinæ à ventriculi calore & acri admisto succo dissolvuntur, liqvescunt & spirituosæ fiunt sulphureasq; particulas simul corrodunt & exagitant atque sic ex mixtionis vinculo cum pugna quadam discedentes per crassiorem massam unâ cum spirituosis sulphureis simul agitatis subascentes atque acriores expanduntur & vibrantur ac propter denegatum exitum mixtionemque crassioris materiæ nondum exactè solutam itentidem repercussæ illam multiplici motu pervadunt ejusque minimas particulas ab invicem diducunt, expandunt & ad faciliorem sui segregationem alteriusque pultacæ seu lacteæ suscipiendæ mixtionis formam disponunt.

§. 5. Recensitis in §. præcedentibus primariis Authorum circa concoctionem diversis opinionibus, reliquum est, ut & nostram qualemcunque addamus sententiam. Nulla proximior veritati est, quàm quæ regiam tenet viam, nec nimis superstitiosè veneratur antiquitatem, nec tamen tenaciùs justò placita modernorum amplectitur. Naturam aut si mavis, Archeum primum esse authorem cum illis agnoscimus. Eam tamen ab acido ciborum assumpto imprægnari & sustentari vero apparet simillimum. Imprimatur tandem illud acidum glandulis ventriculi, ex quibus necessitate ita exigente tanquam ex gazophylacio potest iterùm exprimi. Unde assumptis quotidiè bis vel ter novis alimentis & continuò fermentationem renovari experimur.

§. 6. Fermentatio autem illa ab effervescentia solo differt gradu, hinc etiam SWALVE eod. libr. pag. 183. dicitur:

*Finis*



N<sup>o</sup> 335.

*Finis utriusque non est vinculi salini dissolutio, sed pugilum copula & unio; idem est ac si dicere vellet, ope humoris acidi seu fermenti cibi in ventriculo dissoluti & ab illis vis illius fracta, facile inter se admittunt coitum atque unionem, quia fermentum à cibis seu alcali saturatum fuit. Quò magis autem ciborum partes sunt discontinuatæ, eò facilius humor ille acidus penetrare easque subigere potest, uti experiri licet. Si quis accipiat frustum quoddam ferri solidi & aquam fortem instillet, segnius illa operabitur, quàm si limaturæ ferri eadem aqua fortis affundatur, nam propter partium discontinuationem faciliori modo vim suam exerit, quia limatura ferri non habet talem vim actioni aquæ fortis resistendi, prout ferrum adhuc solidum & compactum; ferri enim solidi partes sunt tam arctè conjunctæ & connexæ, ut aqua illa stygia non tam facile illas penetrare possit. Ex his nunc ratio liquet, cur omnia ore assumpta duritiem quandam præ se ferentia & non decenter masticata non tam facile à stomacho superari possint, quàm mollia alimenta aut illa, quæ legitimè comminuta ventriculo ingeruntur.*

§. 7. Ne autem aliquis arbitretur me ventriculi calorem penitus excludere, omninò judico eum esse summè necessarium, imò & partium coadjacentium, adeò ut uno horum langvente, si non penitus tollatur aut impediatur, saltem nimis labefactetur ventriculi operatio. Intereà tamen cum præcedentibus adductis inæqualem & tam propinquum venire censum vix poterit.

§. 8. Ex dictis nunc satis liquere reor, succum illum  
B chy-



chylosin promoventem non esse salinae, nec acido-salinae, sed merè acidæ naturæ. Legitimam autem & perfectam concoctionem fieri, quando cibi antea dentibus comminuti per œsophagum demissi calorem illum sentientes facillè fermentationem patiuntur. Igitur ad concoctionem præter supremum directorem Naturam aut Archeum tria tanquam necessaria requiruntur: 1. Humidum aliquod diluens cibum, quod saliva & potus præstat. 2. Comminuens & incidens, quod officium humor acidus absolvit & 3. fundens fluxileque reddens illud, quod incisum est. Quamdiu omnia hæc statum suum naturalem servant, tamdiu concoctio ad votum & salutem corporis absolvitur, quamprimùm autem à statu suo naturali deflectunt & infirmantur, ita ut non sufficiant amplius digerendis & maturandis assumptis, toties plurima ventriculi incommoda, præcipuè autem imbecillitas nostra oboritur.

§. 9. Breviter hisce, citra ullius tamen secus sentientis famæ aut honoris detractioem prælibatis, ad id, unde sumus digressi, revertimur. Habet noster hic affectus commune id cum reliquis ventriculi sive morbis, sive symptomatibus, quòd à nativa sua constitutione & exinde dependente operatione declinet. Ab omnibus tamen in eo differt, quòd ejusdem labefactatus vigor comitem ferè indivulsum habeat appetitum dejectum coctionemque aut debilem, aut penè nullam. Unde alimenta etiamsi consueto assumantur tempore, vel difficulter & nimis tardè pro nutrimento partium aliarum salutari resolvuntur, quæ ægritudo Græcis *βεαδονψία* nuncupatur; aut corrumpuntur eadem,

ex





ex quo *δυσμαψία* vel *τῆς πῆψως ἀναφθορὰ* oritur; Aut de-  
nique cruda & vix ad sensum alterata ultra tempus hīc  
relinquuntur, cui defectui *ἀμαψία* suos debet natales.  
Quæ species modò recensitæ sub generali nostra no-  
menclatura continentur, & solo propemodùm gradu  
distingvi censendæ sunt. Unde etiam prudentis erit  
Practici in ipsa curatione habitâ solùm circumstantia-  
rum ratione, emendantium & juvantium medicamen-  
torum dosin modò augere, aut pro re nata imminuere.

§. 10. Quemadmodùm verò si principium ventri-  
culi activissimum, quod fermentum aliqui vocant, benè  
valet, ab ea tanquam à causa proxima reliqua omnia be-  
nè digeri certum est; ita ex adverso ubi id ipsum à vitio  
sive ab intra, sive ab extra eidem implantato aut im-  
presso langvescit, pariter ejusdem debilitati causæ ve-  
luti proximiori esse ascribenda, non minùs solida est  
sequela. Ipse sanè ventriculus debilis est à primo or-  
tu jure quodam hæreditario, ob impuritatem utrius-  
que seminis. Cum adulta insuper ætate fibræ nervo-  
rumque coalitus ita relaxatur, ut à suo recedat tono.  
Contribuunt & suum foetidum contagium viscera alia  
tum superiora, tum circum sita, quæ non ita benè sese  
habent. Quot modis verò hæc ipsa fiat communica-  
tio, in præsens fusiùs diducere nec nostri est instituti &  
nimis fortean prolixum & tædiosum foret.

§. 11. Errores verò externos hujus mali esse paren-  
tes, eum non potest latere, qui novit, à rerum nonna-  
turalium genuino usu nostram dependere sanitatem;  
ex earundem verò abusu omnes propullulare morbos,  
GALEN. l. de symptom. caus. c. 1. (Aër) sanè cæteroquin-

B 2

sum.



summè necessarius, dum qualitatibus turget adversis,  
 hic afficit multumque molestiæ creatio, præcipuè si sit  
 Austrinus, nubilosus, pluviosus & crassus. Obtundi  
 quippe eo aciditatem coctionis principem adiutorem,  
 experientia cum immotâ docet ratione. (Cibus & po-  
 tus) nimiâ quantitate ingurgitatus <sup>etiam</sup> ~~etiam~~ <sup>εὐπερίως</sup>, relinquit  
 post se partum suæ indoli contrarium <sup>ἀπερίως</sup>. Digerit  
 enim unumquodque viscus non pro mensura trans-  
 missorum, sed solùm pro sua quâ pollet virtute. Ali-  
 menta etiam vel nimiùm generosis, vel peregrinis &  
 sylvestribus, aut ad putredinem pronis prædita quali-  
 tatibus huic malo subministrâsse fomitem est expertum.  
 Nec minorem meretur observationem, nihil novi esse  
 assumendum, antequam constet, priùs maximam par-  
 tem esse resolutam, nisi velimus cruditatum cumulum  
 adauctum: Somnum excedentem hîc plus conferre,  
 quam vigiliis, ille sibi persuadere poterit, qui vel in suo  
 animadvertit corpore, in illo tardiores esse digestio-  
 nem, in his verò spiritus magis dissipari. Propterea  
 tamen non inficiamur ex vigiliis, licet ex accidenti, sub-  
 secutam esse ventriculi imbecillitatem. Inter eos ani-  
 mi affectus accusandi potissimùm veniunt illi, qui spi-  
 rituum frustrantur motum, eorundem operationibus  
 ponunt ad tempus obicem: Inter quos terrorem, tri-  
 stitiam, timorem & his cognatos plurimùm facere cer-  
 tò certius est. A quietâ fuliginum noxiarum discussi-  
 onē sufflaminante, ut & à motu nimio vires dissolvente,  
 malum hoc dependere posse prudens nemo facilè ne-  
 gaverit. Tandem verò retenta plus nocumenti hîc  
 conferunt, quàm excreta. Nec tamen hæc ea propter  
 sua



sua vacant culpa. Si præsertim limites transgredian-<sup>2329</sup>  
tur naturæ.

§. 12. Quo autem ex indicio dignoscatur hic affe-  
ctus, prolixius explanare non judico consultum. Quod  
unicuique eum satis edoceat ille quem in suo experitur  
stomacho appetitus depravatus. Desumitur alioquin  
quanquam non infallibile indicium à ructibus pro as-  
sumptorum diversitate in sapore variantibus & ultra  
consuetum digestionis tempus impetuosa molestia œ-  
sophagum affligentibus. Magis necessarium arbitror  
esse hîc definire, quænam signa illius sint, ex quibus aut  
de recuperanda salute, aut de insecutura morte possi-  
mus esse certi. Variat *Prognosis* pro graduum diver-  
sitate. Quilibet inde colliget *Gradum* non tam fu-  
nestum, quàm *duo* & *ans* minari exitum. Nec et-  
iam malum hoc, quod externus produxit error, tam  
periculosum censendum est, cum partim possit remo-  
veri, partim convenientiore institutâ victus ratione e-  
mendari. Sed verò ubi noxii humores ab iis affluxere  
partibus, quæ aliàs balsamum vivificum debebant stil-  
lare, aut à visceribus vitali huic operi subordinatis, len-  
to censendum est magis plenum discrimine. Postre-  
mum remis velisqve laborandum est in servanda navi,  
quando videlicet ipse ventriculus langvet ejusq; actio  
aut nimium depravata, aut ferè abolita: Totum enim  
corpus suâ defraudatur nutritione. Unde Medico-  
rum scandala, *Hydrops*, *Atrophia*, *Cachexia*, *Obstructiones*,  
*Febres* & quæ non morborum monstra vel generosissi-  
mis pharmacis inexpugnabilia denso sequuntur a-  
gmine.



1340.

§. 13. Huic autem calamitati ut Medica adhibeatur, manus, summa urget necessitas, nisi serò sapere velimus, quando febilem jamdum sumus experti tragœdiam. Vitium sic contractum rarò emendatur in secunda, minùs multò in assimilatoria digestionem. Eliminanda ea sunt, quæ nocent. Optatas hîc præstant operas Vomitoria. Hâc tamen sub cautelâ propinanda, nisi serum illud, quod acidum tam potenter subjugavit, sit nimis ponderosum & eâ de causa per guttur, inferius sui imperet dejectionem. Hoc in casu consilium HIPPOCRATIS audiendum est: *Natura quò vergit, eò est juvanda. Aph. 21. sect. 1.* Emeticorum autem quia varius est numerus, selectum eorundem committimus uniuscujusque conscientia, ita ut eadem vel ipse sit expertus vel ad minimum cum sperato emolumento adhiberi vel viderit ipse, vel à testibus omni exceptione majoribus audiverit. Inter probatiora prostant & circumferuntur hodiè, modò dextrè etiam præparentur, Tartar. Emeticus Myns. Croc. metall. s. per se s. in Infus. vitr. ð ii ex quo ∇ Bened. Rul. Ros. vit. mineral. A. Sal. ð dulc. & Mann. Vomitor. Vegetabilia, ut & Animalia nunc exulant apud cordatos Practicos, cum nauseabunda partim sint, non rarò etiam eum fallunt, qui nimiam in ipsis locavit fiduciam. Formulas hîc consarcinare de industria nolui, cum iisdem abundant Practicorum monumenta. Nec ulla tam accuratè potest describi, quin pro diversitate clinicorum sui requirat immutationem. Quod omne Prudentis Medici est officium. Eò verò, quod grave & noxium fuit, extirpatò transeundum ad illa, quæ naturam aut ejusdem.  
fide.



2342.

fidelem famulum, fermentum puto, erigunt & solantur. Ea verò aciditate quâdam gratâ debere pollere, ex præmissis proclive est concludere. Horum locupletem thesaurum divina nobis indulfit munificentia, in regno utroque & vegetabili & minerali. Ex animali quidem hîc aliqua commendantur, ut Echin. gallinar. ventric. tunic. ebur. pell. cygn. Sed hæc tantum non sunt, ut posthabitis aliis certioribus hîc velimus fidere. Inter vegetabilia primas hîc tenent Menth. absinth. acetos. utr. Arum, ceras. acid. Cydon. Mastich. & omnia aromatizata acido quodam volatili eoque blando turgida. Quæritæ sunt multorum compositorum primaria membra, ita & in suis essentiis, spiritibus, Salibus, Feculis, Tincturis, Extractis, notissimæ sunt operationis. In regno minerali quam non efficacem præbent medellam Vitriol. Sal. Nitr. Sulphur. Antimon. præcipuè autem ex his concentrati per ignis imperium liqvores essentielles, aliis spirituû nomine famigerabiles. Ambram non exiguæ hoc in morbo virtutis esse censeo, ad quam classem a. fit referenda, pronunciare eqvidem nō audeo, cum circa ejusd. originem illustria dissentiant ingenia. Videatur JUSTUS FIDUS GLOBIUS in peculiari tractatu de Ambra, in quo XVIII. sententiæ de ejusdem origine censentur. Quâ verò ratione fermentum illud excitari queat, explicatu non ita est facile. Extra dubium positum est ambram destitui omni acido. Anne ergo ejusdem virtus ascribenda menstruo solventi? Neque hoc promptè admitterem. Cùm hoc ipsum famuli solummodò agat partes, nec directionem sibi poterit.

ali.



1342.

aliquam vendicare in virtute principali. Quid de huius virtute sentiam, si liberè proloquendum est, iudico, propter blandos illos, quibus turget ambra vapores genus nervosum validè corroborari, spiritus refocillari, qui ita animati generosiùs in hostem insurgunt eumque expellere annituntur. Satis est eandem & in substantia aut quod præstat, in Essentia Celeberr. Lips. Chymiatri. Dr. Michaël. olim consueta desideratam ferre opem. Sicubi fortassis curiosus Lector compositorum hîc scrutetur indicem, ex receptissimis & longè usu probatis quædam recensemus: Pulv. stomach. Querc. Epat. rubr. Diæod. Acid. Tart. Spir. Mastich. ▽ & Tinctur. Cinamom. Elixir. Propr. Parac. cum Spir. a. Salis a. Vitriol. vel quod ab HELMONTIO depuratum est & redivivum insignitur, Elix. Vitriol. Myns. Elix. Sal. ut & Spir. ejusdem Elix. Matthiol. & Quercet, apud SCHRÖDERUM in officinis ita & in omnium commodum prostant.

§. 14. Tandem aliquid & hîc subjungendum esset, de Diætæ regulis, nisi supervacaneum videretur. Qui enim ea, quæ ex rebus non-naturalibus dicta sunt, damnum aliquod afferre, contrario accipit sensu, nisi fungum habeat pro cerebro, de facili quid conducere ex adverso possit, præsagire valebit.



COROL:







2343

## COROLLARIA.

I.

**H**Odiernâ in peste majorem præstant usum medicamenta *Balsamicâ virtute* pollentia ac *spiritu vini Rbenani* extracta, quàm quæ vim narcoticam possident, uti sunt Opiata.

II.

In nimia alvi obstructione purgantia fortiora magis nocent, quàm profunt.

III.

Quatuor famosi humores meritò pro productis morborum habendi, quàm pro morborum causis.

IV.

In Phthisi omnia saccharata nocent.

V.

Lac generatur non ex sanguine, uti credidère Veteres, sed producitur ex chylo.

VI.

Catharri tales uti à Veteribus explicantur, non dantur.

VII.

Nec Catharri sunt excrementa cerebri.

VIII.

Magnes non attrahit ferrum propriâ quâdam vi, sed ope cujusdam auræ subtilis.

C

IX. Ma



1396

IX.

Materia, corpus & quantitas inter se realiter non differunt.

X.

Formæ substantiales ipsi materiae, cui inexistunt, non sunt contradistinctæ.

XI.

Vacuum dari in rerum natura nemo probabit.

XII.

Omnes Planetæ sunt destituti lumine proprio.

XIII.

Sol & Stellæ fixæ ex unâ eademque materia constant.

XIV.

Omnes corporum effectus debent explicari per suas causas, non causæ per effectus, uti fecere veteres Philosophi.

XV.

Per actionem globulorum cœlestium & materiae seu auræ subtilissimæ omnes corporum effectus explicantur, etsi illa aura sensus non incurrat.

XVI.

Animæ essentia consistit in cogitatione.







Mnia nunc frigent, studiorum ardore calefcit  
mens Tua, proclivis studia in sublimia quæ-  
que.

Hoc animo persta : spondet præbetque  
brabejum

Phœbus. Celsa magis superaddet gratia quondam  
Principis, & talem Tibi comprecor usque faventem.

*αὐτοῦ.*

D. GEORG. CHRISTOPH. PETRI

AB Hartenfels / Sacr. Cæsar. Pal. Com.  
Med. Electoral. Mogunt. & Facult. Medicæ  
Assess. &c.

NOBILI & CLARISSIMO

DN. JOANN. DANIEL. Koppen /

de

VENTRICULI LANGVORE

inaugurali solennitate disputanti

*aperto corde*

*menteque sincera*

BREVICULO HOC

ita

appr.

L. JOANN. CHR. Adlung /

P. P. S. R. I. nat. Cur. Coll.

**L**anguentem stomachum curans, KOPPENE, pro-  
basti,  
ne minimum studiis languidi inesse Tuis.

C 2

Inva



1326.

**I**Nvalidum emendas ventrem, pariterque malorum  
Disturbas fomitem, qui nociturus erat?  
Hæc veluti in scriptis jam tradis, sic ut in apta  
Praxi succedant opto precorque DEUM!

*Fratri suo dilectiss. sic ex animo  
gratul.*

JOHANNES Koppin.

---

**I**D, quod abest, adsit, quod adest, id longius absit,  
Ut Tua pro cæpto crescere fama queat.  
Qui tractandus adest, procul à Te *debilis* absit,  
*Ventriculus fortis* sit Tibi sitque *bonus*.  
sit cum *Ventriculo forti* Tibi gloria grandis!  
Sit Tibi grandis honor, præmia magna Tibi.

*In felicem*

*Nobilissimi & Clarissimi Dn. DOCTORAN-  
DI, Cognati præ aliis honorandi, statum  
debiti contestandi ergo paucula hæc  
app:*

JOHANN. CASPAR Murhardt/  
Hombergâ-Hassus, LL.  
Cultor.

---


**F**ortiter ascendis jam DOCTORANDE cathedram,  
KOPPI, JOVA dabit summâ cum laude trium-  
phum.

*Pauxillum hoc Clarissimo, nec non Doctissimo  
Dn. DOCTORANDO, Fautori ac a-  
mico suo honoratissimo, gratulab. ap-  
plaudere voluit, debuit*

JOH. MELCHIOR Waldenberger.

**F I N I S,**







Handwritten text in a cursive script, likely a library or archival stamp, located on the right edge of the page. The text is partially obscured and difficult to decipher.





Index.

1. Valetudinarium Infantile Otmüllerii. — i. —	
2. De valvularum natura & usu, Kemper. — 57. —	
3. De Absorptione viscerum, <del>Wedell</del> . — 97. —	
4. De Contagijis malignis, Körber. — — 129. —	
5. De Lue venerea, Sennertg. — — 153. —	
6. De Morbo Hungarico, Fafch: — — 201. —	
7. De Quartana Intermittente, Rolfin: — 253. —	
8. De Convulsione, Wedell: — — — 293. —	
9. De Convulsione, Schenckig. — — — 309. —	
10. De paralyfi, Wedell: — — — 353. —	
11. De Inflammatione, Widmarckter. — — — 393. —	
12. De Oedemate, Fafch: — — — 415. —	
13. De Cephalalgia, Bohne. — — — 445. —	
14. De Ambulatione in Somno, Schenckig. — 462. —	
15. De Mania, Rolfin: — — — 502. —	
16. De Mania, Wedell: — — — 569. —	
17. De Erotomania, Loffig. — — — 585. —	
18. De Morto caduco, Richter. — — — 629. —	
19. De Apoplexia, Friderici. — — — 657. —	
20. De Epilepsia, Wedell. — — — 697. —	
21. De pervigilio, Wedell. — — — 739. —	
22. De visu, Wedell. — — — 787. —	
23. De Dentitione Infantum, Wedell. — 819. —	
24. De Odontalgia, Krause. — — — 851. —	


Ute.





Index

25.	De Raucevine, Wedell.	883.
26.	De lasimibz Cranij, Meibom:	935.
27.	De parotidis, Pasch:	967.
28.	De Respiratione, Etmüller.	991.
29.	De Catarrho suffocativo.	1103.
30.	De pleuritide. Krause.	1151.
31.	De Hyra pleuritica, Wedell:	1191.
32.	De phthisi, Fidenici.	1207.
33.	De lacte humano.	1263.
34.	De ovo humano, Garman.	1295.
35.	De Imbecillitate Ventriculi, Koppe.	1327.
36.	De dolore hypochondriaco, Etmüller.	1347.
37.	De suffocatione uterina. Pasch:	1379.
38.	De partu difficili, Wedell:	1419.
39.	De Stranguria Fidenici.	1459.
40.	De Diarrhaea Pasch:	1499.
41.	De Haemorrhoea, Heinsig.	1523.
42.	De Infantibus supposititijs.	1587.
43.	De fontibus Soterijs, Kalchhoff.	1635.
44.	De Brachyta Tarentino, Schmid.	1661.
45.	De observatione practico-anatomica, epistola Gläuben.	1699.





153154

X2615746

R

VD 17







35 36 1327

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**IMBECILLITATE  
VENTRICULI,**

QUAM  
FAUENTE DEO TRIUNO  
DECRETO ET AUTORITATE  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
IN  
PERANTIQUA ELECTORALI ERFURTINA  
PRO

**LICENTIA**  
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA legitimè  
ac solenniter consequendi

*Publico Eruditorum Examinè  
submittit*

**JOHANN. DANIEL**

**Goppen/**

HERSFELDA-HASSUS,  
*Ad d. 23. Decembr. Anno M. DC. LXXX.*  
In Auditorio Coelico  
Horis consuetis.

—————  
TYPIS KIRSCHIANIS.

